







Ludov. Choulant.

DE PHIL-TRIS, UTRUM ANIMI HOMINUM HIS commoueantur, nec ne.

Tractatus

JOHANNIS BOKELII. D.
Ordinarii Physici Hamburgensis.



HAMBURGI
Ex officina Hermanni Molleri,

Anno M. D. IC.

REUERENDISS.
AC ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO HENRICO JULIO, POSTULATO EPISCOPO Halberstadensi, Duci Brunsuicensi & Lünæburgi, Domino suo Clementissimo.

ELapsi sunt aliquot anni Reuerendiss: Antistes, ac Dux Illustriss: Domine Clementiss: cum casus quidam decidendus ad omnes facultates Academiæ Iuliæ mitteretur: An amore Philtris conciliato raptus cujusdam Nobilis fœminæ excusari posset.

Ea vero quæstio quia ad Physicos maximè spectare videtur, Medicis ac Physicis de ea inquirendum fuit. Cum igitur in unam ac eandem sententiam omnes facultates pronunciarent, Philtris nō posse hujusmodi factum veniam mereri, & τὸ ὅτι, quòd Philtris non concilietur Amor, tantùm propo-

neretur Physicis τὸ διότι etiam scrutandum, & indagandum fuit. Quare eo tempore vir Nobiliss: & Doctiss: D. Ioachimus Mynsingerus (piæ memoriæ) amicè petebat, ut paulo altiùs de his meditarer, & causas inquirerem, docerem ac demonstrarem: Philtris non conciliari Amorem.

Etsi autem arduum atq; operosum id facere animaduerterem, & semel ac vulgò opinionē animis hominum insitam refutare & refellere: tamen cum Medica ac Physica & maximè necessaria ac utilis Reipub: Christianæ, simul & jucunda quæstio esset, libenter hanc provinciam in me recepi, & de causis veris Amoris, & de Philtris, an ea vis ipsis inesset, in certum Individuum amorē excitare, & an conciliare animos mutuò possent, accuratiùs ac diligentiùs inuestigare & scrutari occepi. Vestræ autē Celsitudini, quæ nullius doctrinæ expers est, quia hujusmodi quæstionibus Physicis delectari scio, id operis consecrare volui, memor beneficiorum plurium, quibus ab ineunte ætate à vestra Cels: affectus fui, & quotidie adhuc eadem liberalißima in me meosq; experior, ne hoc in me dicatur, Εὕδει παλαιᾶ χάρις

εἰς ἀμνάμονες δὲ βροτοί. Nec dubito hoc meum ſtudium Celſ. veſtræ gratum fore. Id ſi cognouero, ad alia Celſ: veſtra animum meum excitabit, paulò quæ erunt grauiora. Interim valeat Celſ: veſtra cum univerſa laudabili Brunſuicenſium familia, & me meosq; ut ſolita gratia ac beneuovolentia complecti pergat, reuerenter oro & obteſtor. Dabantur Hamburgi. 7. Auguſti, Anno 99.

V: Celſitud:

Obſequenſſ:

Johannes Bökelius.

IN IOHANNIS BOKELII MED. D. TRACTATUM DE PHILTRIS, NOBILISS. Dn. D. IOACHIMI MYNSINGERI, à Frondeck J.C. Clariss: Epigramma extemporaneum.

EN qui pene sophos eluserat irritus, omnis
Bôkelii clara vincitur arte labor.
Philtron an ad certos certò producat amores?
Hærebat Mystes, Legifer ac Medicus.
Omnibus hic nubem suffudit fascinus atram;
Circæo in fatuum potu abiere pecus.
Hunc cata Bôkelii mens errorem abstulit, & quòd
Sint genuina omni Philtra in amore docet.
Ergò Theologi, Medicinam, Iusq; professi,
Arte & censura hic cedite Bökelio.

DE PHILTRIS.

VEL POCULO AMATORIO, Germanis Liebtrencke.

PRAEFATIO.

VEre dixit Nazianzenus:
Ανθρωποι κενεῆς οἰήσεος ἔμπλεοι ἄκοι.
Sunt hominum Mentes pravi fictiq; tenaces.
Haud equidem dubium id est, hominum animis semel conceptas, & longa consuetudine imbutas & firmatas, etsi nulla ratione fundatas opiniones difficulter eximi, & in contrariam sententiam licet veriorem à falso revocari. Consuetudo enim apud plerosque vim legis ac rationis habet, καὶ ἡ δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν.

Quapropter plures facili ac stulta credulitate, etiam boni qui sunt, falluntur, probantque ea quæ vulgò recepta, Magistratusque magnifica autoritate roborata sunt, nullaque veri falsique ratione habita in sua opinione pertinaciter persistunt, eamque tueri αὐθαδείᾳ quadam ac animi φιλονικείᾳ obstinatè dant operam.

Quemadmodum enim Corporis exterioris vitia consuetudine durata valent: non secus animi, & mentis motus ac opiniones, quibus semel Mens imbuta est, tenaciùs insident & hærent, imprimis iis, qui solum τὸ ὅτι, at non τὸ διότι inquirunt, & accuratiùs scrutantur. Hoc enim Intelligens Idiotæ interest: Hic rerum

Impe-

Imperitus iudicium fert; ille verò causarum gnarus, omnia ad rationes reuocat, & demonstrationibus firmioribus tuetur & roborat. Animi siquidem multorum, affectibus ac opinionibus præoccupati, rariùs liberum, verum ac integrum judicium de vero haud ferre possunt. Προλήψεις enim animos hominum cœcos faciunt, ut videre ea nequeant, quæ aliis manifesta sunt.

Proinde non me latet, summos quosdam viros, doctrina, sapientia & autoritate excellentes, diuersum à me sentire, sibique id adeo persuasisse, Philtrorum magnam esse efficaciam, & vim. In qua re experientiam vel maximè allegant. Quæ quidem ad fidem faciendam suum locum meritò habet, & κριτήριον firmum est, modo rectè eo utamur, & non falsum pro vero reputemus, nec manifestis rationibus pugnemus. Fallit namque & sapientes & doctos sæpiùs sine ratione Experientia, ut docet Hipp. eam fallacem esse sæpius, ob rerum diuersas circumstantias, ut in sequentibus demonstrabimus.

Quàm igitur arduum, difficile ac operosum mihi sit de Philtris scribere, omnes boni facilè intelligunt, veritas quòd odium pariat: Vix etiam me nomenque meum à temeritatis & arrogantiæ nota, quòd solus præ aliis in his sapere velle videbor, vindicavero. At hæc nihil moror. Καὶ γὰρ ἅ μοι δοκεῖ εἶναι ἄριστα, λέξω. Speroque eos, apud quos aliquid veritati loci relictum est, facile mihi veniam daturos, quòd accuratiùs καὶ ἀκριβῶς, ut res ipsa postulare videtur, de Philtris disserere, & ex tenebris veritatem eruere, sedulò enitar. Non arroganter, aut temerè hic quidquam facio. Causas graues habeo, quæ me vel maximè mouent, ac urgent vehementiùs, quamobrem hæc scribere aggrediar, καὶ προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν, dicant alii, quid velint.

Operæ pretium equidem me omnino facturum esse arbitror, si accuratiùs universum negotium de Philtris exposuero, communemq; opinionem vulgi refutavero, & Reipub. Christianæ, maximè verò casto conjugum pudori hac parte commodavero. Is quia omnibus gentibus, omni seculo, semper sacer habitus est: nos præsertim, qui Christiani sumus, decet, ne eum prostituamus. Proin instituti mei ratio hæc est. Scripse-

graues

Scripſerunt de Philtris vel Poculis amatoriis plærique Juriſconſulti, Medici & Phyſici, iiſque non tam amorem, quam furorem ſæpiùs conciliari, mortemque pluribus celeriùs accerſi docuerunt. Atque hæc cauſa eſt, cur ſeveriùs in eos animaduertendum eſſe cenſeant, qui Philtris hominum vitæ noxiis, amorem certæ alicujus perſonæ conciliari amantibus ſtudent.

Sunt præterea alii, qui etſi Philtris amorem non conciliari affirment, tamen cauſas ejus rei non adferunt: Idque cauſæ eſt, quod his parum adhibeatur fidei. Nam Phyſici eſt rationibus ac experientia ſua dogmata probare & confirmare, atque hoc demum ſcire eſt, rem per principia, & cauſas cognoſcere. Id hoc loco faciendum eſſe omnino mihi perſaudeo, rationibus & experientia, ac ſaniorum Philoſophorum autoritate, ſententiam meam de Philtris ut firmem & ſtabiliam, *Philtris* nimirum *nullam ineſſe efficaciam aut vim conciliandi amorem in certum individuum, Neq; quenquam invitum in amorem Philtris adigi poſſe.* Id ut facilius perſequar, & doceam, de amore quid ſit & quomodo concilietur, principio mihi dicendum eſt.

Candidum autem Lectorem unicè rogo, ut rationem cum experientia conjungat, ne in judicando aberret, ſed verùm à falſo, ratione & experientia, diſtinguat, quos ſi ſequatur Duces, facilis ad omnia reſponſio, & facilis ad veritatem via erit, ad quam, ut ſpero, ipſi faciliorem hiſce meis aditum parabo, dum ex effectis cauſas & reciprocè ex cauſis effecta docebo, quod omni ſcientiæ proprium exiſtit.

TRACTATUS DE PHILTRIS.

CAPUT I.

Quid ſit Philtrum.

NOmina ſæpius indicant naturam rei. φίλτρον Græcis ἀπὸ τοῦ φιλεῖν, hoc eſt, amare derivatur, quod Nomen effectũ ſignificat, quòd res ea amorem inducere credatur.

Latini ab ipſa materia potiùs nominarunt, POCULUM AMATORIUM. Germani Einen Liebtranck vocant, ſimul materiam cùm ejus effectu notantes. Siquidem materia liquida, & potulenta celerius ac facilius in viſcera ducitur, & effectum ſuum producit quàm ſolida. Ideo venena liquidâ formâ frequentiùs propinantur, ut celerioris ſint operationis. Eſt igitut Græcum nomen generalius pro ipſo effectu ſumptum. Latinorum ac Germanorum ſpecialius, quod materiam tantum ſignare videtur, vel etiam utrumque, quòd liquida forma Philtra ſæpiùs exhibeantur, quæ celerioris & efficacioris ſunt operationis.

Vocabuli explicationem ſequitur Definitio. Quid verò hic definiveris? cùm definire ſit veris terminis rem definiendam circumſcribere. At nihil veri de Philtris à pluribus ſcribitur. Ideo Philtrorum definitiones hactenus de Philtris traditæ falſæ deprehenduntur, quia definito latiùs patent. Operæ pretium igitur fuerit à definitione rem ordiri.

Philtrum eſt Pharmacum, vel Magica vel ludrica quædam actio,

actio, certis ceremoniis, carminibus vel verbis concepta & administrata, quibus Amantes Amatæ vel econtrà, amorem conciliare certò ſibi poſſe perſuadent, & in eo maximè laborant.

Dico eſſe Pharmacum, quia varia ſunt & ſimplicia & compoſita Medicamenta, quibus hanc vim homines Imperiti rerum tribuunt, variaque forma hæc aliis exhibentur, vel applicantur. In potu tamen vel poculentis quòd hæc miſceantur frequentiùs, pocula Amatoria à Jurisconſultis dicta ſunt.

Alii forma ſolida exhibent, vel etiam, ut Amuleta, de corpore ſuſpendunt, vel veſtibus vel pileis inſuunt variis modis & ſuperſtitionibus conſecrata.

Alii arte Magica, vel magicis actionibus, id perficere conantur, quod Φαρμακεύτρια Theocriti, Virgilii & aliorum docent, in quibus hujuſmodi actiones Magicæ prolixiùs deſcribuntur. Sic Dido illa Virgiliana, cum nec forma, nec verbis nec precibus, aut ullis animi illecebris Æneam in ſui amorem illicere poſſet, tandem ad Magicas artes ſeſe conuertit, quibus Æneam detinere, & in ſui amorem trahere ſe poſſe confidit. At fruſtra cùm hæc attentaſſet, tandem amoris violentia victa, ſibi ipſi mortem conſcivit.

Hujuſmodi ceremoniæ, quibus malus Dæmon humanas illudit Mentes, diris quæ ſæpius perficiuntur ſacris, prolixiùs illis locis deſcribuntur, quas niſi exquiſitè ad præſcriptum Dæmonis peragerēt, & ritè omnia adminiſtrarent, irrita omnia erant, & eventus ac exitus triſtis, Quin nonnunquam aliquid mali ex malè adminiſtratis ſacris, ſacrificuli vel Magi illi ſibi conciliabant. Uſque adeo ut tutum non ſit ſervire Dæmonibus, Deoque vero cultum præſtare ut facilius, Hoc eſt, ſervire Deo facilius multò eſt, quàm Diabolo. De Diabolorum igitur ſacrificiis vel ceremoniis illis ſæpius infandis hic dicere non eſt noſtri inſtituti, modò id doceamus, hujuſmodi actionibus ſuperſtitioſis ac Magicis nihil ejus homines producere, quod ſeſe efficere illis credunt, & ſi quid horum verè fiat, id Diaboli fieri potentia & arte.

Hinc diræ illæ invocationes, imprecationes, dira vota, &

Dido

Carmina, quorũ tamen nulla efficacia eſt, quia ſunt ſoni in auram euaneſcentes.

Ad eundem modum, nec characterum nec figurarum, & ceremoniarum execrandarum & turpium nonnunquam, ludicarum, & abſurdarum, eſt ulla actio aut operatio in objecta, ad quæ diriguntur, Quia nec quantitatum, nec figurarum ulla vis, aut potentia eſt.

Definitio cauſalis hæc eſt. Ideo poſitis cauſis, ſequitur ex iis effectus. In definitione igitur effectus eſt Amor, quem Pharmacis, verbis, figuris, vel aliis ceremoniis nugacibus & ludicris in aliis, quos amant, concitari poſſe ſibi perſuadent. Amor verò eſt, ut docet Plato, deſiderium pulchri.

In hoc igitur tractatu id eſt rei caput, *An Philtra pulchri deſiderium in nobis excitare queant.* Pulchrum autem id eſt, quod per ſe pulchrum & expetendum eſt, vel quod nobis pulchrum videtur, Quid igitur Amor ſit, nobis quoque explicandum eſt, An id ſit, quod Philtris inducitur, vel, an ſit Philtrorum effectus.

CAPUT II.

Quid ſit Amor.

AMor Græcis dicitur Ερως ἀπὸ τȣ̃ εἰσρεῖν quod influere ſignificat, quòd Amor ex aſpectu per oculos, tanquam per feneſtras in humanas mentes, ac inde in ipſum cor influat & ingrediatur, Prima linea Amoris merito ut ſit viſus. Hinc quidam ἀπὸ της ὀράσεος τὸν ἔρωτα dici volunt, ſecundum illud Virgilii in Bucolicis:

Vt vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.

Latinis Amare dicitur quaſi animare vel Animum dare, quod Amans animum transferat in rem amatam, in qua viuit, & viget, Ideo quidam amorem definiverunt, qui non in ſeſe ſed in

alio

alio vivit. Animus enim animantis ſemper eſt in re amata. Qui amat aurum, animus ejus eſt in auro, & in eo ſeſe oblectat: Qui eſurit, ejus animus eſt in patinis. Qui Deum amat, ejus animus in Deo eſt.

Amorem itaque definiemus eſſe πάθος hoc eſt, Adfectum cordis vehementiorem, viſu vel notitiâ rei amatæ per ſenſus excitatum, quo amantis voluntas & locomotiva libero Mentis judicio impellitur, ut hoc objectum, ex quo plus commodi & voluptatis ſperat, proſequatur, eoq; ut fruatur, ac tandem in eo ut acquieſcat: adfectus ſpei affinis, ſed eo vehementior.

Etenim utriuſque rei Philtri & Amoris, ut eſſentiam intelligamus, effectus in cauſas proprias ac propinquas per analyſin reſoluemus, ut, quid veri in re ſit, cognoſcamus.

Amorem dicimus eſſe adfectum Animi: Adfectus autem Animi ſunt duplices: ἤθη, καὶ πάθη.

Ηθη afectus animi ſunt moderatiores & manſuetiores, qui rationis judicio conſentiunt & parent, ac ratione reguntur, ſuntque ad omne virtutis genus monitores ac ſtimuli, vel judicio mentis rectè judicantis calcar addunt, ſuavioreſque ſunt animi motus: Ut verecundia, pudor, patientia, manſuetudo ac ſpes, nec non animi benignitas, & humanitas. Hi adfectus in bonis maximè vigent; qui vehementiores ratione conſopire, ac reprimere norunt. Ut ad Adamum dicit rerum conditor: Sub te erit adpetitus tuus, & tu dominaberis ipſi, Ideo bonorum animi non franguntur cœco adfectuum impetu.

Πάθη vero ſunt adfectus animi vehementiores ac indomiti, quibus vel maximè animi hominum perturbantur & extra rationis metas ac gyrum efferuntur, rationem in diuerſum ſua vehementia agunt & trahunt, frenum hoc aureum Palladis ut excutiant, ſecundum illud Virgilii:

Fertur equis Auriga, nec audit currus habenas.

Hujuſmodi adfectus eſt Amor, de quo hic agimus. Non hic ſermo eſt de Amore placido, cujuſmodi eſt Amor Dei, virtutis, boni, ac honeſti, Item ϛοργαὶ naturales, et amor conjugum legi-

timus, Quos adfectus omnes ratione ac consilio regimus, attemperamus, ac moderamur, in quibus & suaviter Mens ac Animus humanus acquiescit, per suavem Harmoniam illam superiorum ac inferiorum virium, quarum consensus & concordia in homine summa voluptas est, & veræ virtutes sunt habitu quodam acquisitæ ac firmatæ in bonorum animis, qui adfectibus temperare norunt, eosque placidè coercere, ac moderari.

De Amore igitur omnium adfectuum vehementissimo hic docemus, cujus vehementiam Virgilius in Pharmaceutria describit.

Nunc scio quid sit Amor, duris in cotibus illum
Ismarus & Rhodope, aut extremi Garamantes, &c.
Sævus Amor docuit, natorum sanguine matrem,
Commaculare manus, &c.

Est igitur is adfectus Amor, qui homines cum ratione insanire verè facit, cujus sane vim, ac crudelitatem omnes Philosophi admirati sunt, ita quidem ut Amorem non solùm ratione, sed & oculis cœcum pinxerint. Quia is est adfectus, qui Mentis consilia non solum perturbat, & frenum rationis excutit, verum etiam & sensu communi, ac omnibus exterioribus sensibus hominem sæpius privat & exuit, quod videre etiam licet in Brutis. Quando enim Mares sensu fœminæ in Venerem aguntur & extimulantur, tanto æstu amoris ea inflammantur, ut nullis etiam plagis à coitu arceri queant.

Causam verò hic adfectus habet hujus suæ vehementiæ & ferociæ, quòd plures animæ facultates in hunc unum adfectum conspirent, vim suam cogant, ac uniant. Vis autem unita fortior, Quæ facultates omnes quia in unam insurgunt, unamque rationalem videlicet animam oppugnant, non equidem mirum est, à pluribus vehementioribus hanc unam sæpius expugnari. Ut, vegetativa, sensitiva, adpetitiva, uni rationi pugnant, ac tribus quasi machinis fortioribus eam aggrediuntur, cordis, epatis, ac generationis organis, quæ partes sunt principes, quas quidem ipso cerebro affirmat digniores Galenus, quòd speciei conser-

vationi

vationi destinatæ sint: Hinc harum maxima partium potestas, quæ necessitati summæ conjuncta est, nimirum, ut hoc furioso quasi appetitu naturæ animal generationi inserviat, ne si deses, aut pigrum, aut impotens hac in parte evadat, genus animantium intereat. Quis igitur miretur, hunc adfectum omnes alios vincere, & rationem ippsam expugnare? ut ait Poeta,

Omnia vincit Amor, & nos cedamus Amori.

στόργαι naturales parentum erga liberos, & Brutorum in sobolem, πάθη quoque sunt & ardentes animi adfectus. At Amor longe hos superat, quod & docet res ipsa, ac omnium gentium historiæ. Medea filios discerpit impatientia Amoris vel Zelotopia in maritum Jasonem. Dido sibi ipsi manus consciscit, vehementia Amoris in Æneam advenam. Nec ullus fuit animo tam forti, quem ardor Amoris non superaverit, animumque ejus fregerit. Hercules amore effœminatus turpiter servivit Omphalæ. Samson Amore victus arcana sua aperuit ac revelavit fœminæ. Nec non aliquaudo & sanctissimorum animos vincit ac domat, Spiritumque expellit. David Propheta sanctus Amore impulsus fit homicida, & adulterium committit. Salomon omnium hominum sapientissimus, mulierum Amore fractus, fit Idolatra ac verum abnegat Deum. Ita sanctissimi, sapientissimi, robustissimi ac fortissimi amore fracti & domiti flagitia committunt gravissima. Hinc incesti concubitus, raptus, adulteria, scortationes aliaque scelera, quæ Amoris vehementiam comitantur. Nulla equidem pietate in Deum, nulla reverentia virtutis, nullaque fama honesti ac pudoris ut moveantur, quo minus cœcis indulgeant Amoris adfectibus & furori. Recte ut dixerit Poeta de Didone,

Nec famam obstare furori.

Item.

Quid vota furentem,
Quid delubra juvant? Est mollis flamma Medullas.

Nec existimo pluribus opus esse, ut demonstrem, Amorem esse πάθος crudelissimum, quo homines per saxa, per ignes impelluntur

luntur, ut re amata potiantur, vitam etiam sæpius ipsam ac sanguinem ut profundant, amori ut obsequantur. Quid igitur non designaverint amantes animi hac impotentia victi ac fracti, quibus nihil præter amatum dulce est, vitaque dulcius ipsa amato frui.

CAPUT III.

De causis crudelis hujus ac indomiti affectus.

Verissimè dixit Poëta: Ignoti nulla cupido. Hoc est, Nemo appetit, quod nunquam novit. Ac semper notitia rei præcedit rei appetitum. Notitia etenim est in intellectu. At nihil est in intellectu, nisi prius sit in sensu. Sensus autem versatur circa singularia, ac individua.

Nihil equidem intellectui commune est cum extrinsecis rebus, corporeis sensibus, vel animæ rationali cum his externis, nisi per sensum communem, eique sensus exteriores ministros, qui sensui communi propria sua objecta nunciant, hic intellectui defert, cujus mox est de re oblata & jam cognita judicare, an bona, vel mala sit, an appetenda, prosequenda, an fugienda, Hanc notitiam igitur vel intellectum rei sequitur appetitus, id est, rei amor, vel odium. Singula igitur objecta suos mouent sensus, nec sensuum fit confusio. Non enim est oculi apprehendere sonos, nec auris colores, & sic de reliquis.

Etenim diximus amorem esse desiderium pulchri. Pulchrum autem duplex: aut animo quid pulchrum est ut virtus, quod est animi bonum, aut bonum & pulchrum quid est visui vel oculis, quod externum objectum est oculos adficiens, vel quod soli oculi apprehendunt ac sensui communi deferunt.

Relucent enim externorum objectorum imagines in oculis,

lis, sicuti speculis externa omnia ipsis objecta. Est igitur pulchrum externum singulare objectum visus. Videre igitur est recipere imagines, quas sensus tradit intellectui, ex intellectu rei amor vel odium rei, quo voluntas impellitur ad prosequendum vel fugiendum objectum.

Prima itaque amoris, linea est visus, ἐκ γὰρ τοῦ ὁρᾷν γίγνεται τὸ ἐρᾷν. Et oculi sunt in amore Duces.

Dido aspectu Æneæ Ducis Trojani amore ejus inflammatur, ejusque connubium expetit: Nunquam si Æneam vidisset, neque amore ejus fuisset accensa, neque amplexum ejus expetivisset.

Nemo unquam rem nunquam visam amaverit, amor siquidem ad ojectum cognitum se correlativè habet.

Ideo objectum quod appetimus semper est idem cum objecto, quod est in intellectu, qui per visum est informatus, imaginemque ejus in se continuo format, & servat, quo fit νοητὸν, καὶ αἰσθητὸν idem esse in concreto, Ex quo appetitus, qui notitiam rei comitantur. Uxor Potipharis regis Ægypti Josephi quotidiano aspectu in amorem ejus concitatur. Sic David accenditur conspectu Bersabeæ. Rectè videlicet dixerit Poëta:

Intrat amor Mentes visu, dediscitur usu.

Hoc est, consuetudine rei visæ in nobis adfectus commoventur. Nec imaginarium quid in abstracto amor est, sed semper ad certum objectum dirigitur, cujus desiderio ardet amans, neque adfectus sunt nudæ opiniones, inprimis amor, qui singularis individui appetitus est vehementissimus.

Ostendimus igitur ad amoris conciliationem semper opus esse rei notitia. Nunquam Chærea exarsisset amore Pamphilæ, nisi in plateis eam conspexisset. Pro Hypothesi igitur, ut demonstremus quod volumus, nobis hoc oportet omnes concedant sani, ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίγνεσθαι τὸ ἐρᾷν, nec ullum amorem in ullo concitari homine, nisi prius amatum videat. Atque hoc pacto principium amoris in altero amantium nascitur, etsi mox amor nõ sit mutuus, quia amatum sæpius se amari nescit. Quamvis præ amore nonnunquam insanire videatur amans, nihil tamen eo vi-

cissim aliquando commovetur amatum, quemadmodum Æneas nihil adficitur gravissimo amore Didonis præ amore insanientis, qualem ipsum describit Poëta Virgilius:

Mens immota manet, lachrymæ volvuntur inanes.

Etenim quia Philtra ea dicuntur media, quibus amor mutuò conciliatur, & mutuus evadere creditur, ex prædictis autem discimus, semper alterum amantem visu rei amatæ in amorem prius illici, nec Pharmaco ullo, aut aliis mediis ullis animum ipsius attentatum, aut sollicitatum fuisse, priusquam amaret: in Philtrorum itaque administratione alterum semper oportet supponamus amantem, qui amatum in sui amorem Pharmacis posse trahi omninò sibi persuadet, creditq; nonnunquã firmiùs id fieri posse. Quod quàm verum sit, à nobis nunc demonstrabitur facilè.

CAPUT IIII.

PHILTRIS animos, hominum non commoveri.

OStendimus superioribus, ac quidem paucis, adfectus, inprimis amorem omnium adfectuum in corde sævissimũ, ac vehementissimũ, in altero amantium, ex rei notitia, hoc est, visu cõcitari. Habes igitur causam amoris in uno, qui amat, nõ redamatur ab amato, cujus animus forsan ad illicitos amores flecti nequit, vel qui amantis illecebris frangi & expugnari, vel in mutuum amorem se trahi non patitur, sed fortissimè placito pugnat amori, ac Sirenum, obstruendo aures, præternavigat cantus. Quæstio igitur est: An Philtris, cum alio modo nequeat, animus ipsius vinci, & in amorem trahi possit, an Magicis artibus: quemadmodum se ad hasce, cum alia arte nec ullis aliis dolis aut illecebris animum Æneæ expugnare posset, se Dido Phœnissa convertit, ubi sororem hisce verbis alloquitur. Testor

Testor cara Deos & te germana, tuumque
Dulce caput, Magicas invitam accingier Artes.

An vero carminibus, figuris, ceremoniisque aliis id fieri poſsit? Dico ſanè, quòd non, & impoſsibile eſſe, animum ad amorem Pharmacis concitare. Quæ enim herba, quodve Pharmacum animum hominis commoverit, ut certum hominem amet, vel oderit, cum adfectus, ut demonſtravimus, oriantur ex rei notitia? cujus autem rei notitiam nobis conciliaverit herbarum vel Pharmacorum uſus? nedum Ceremoniæ ludricæ, Carmina, vel aliud quid: quod in hominum animos non agit, eoſque abſentes; etiam minimè afficit. An ex Pharmacis, verbis, ceremoniis vel verbis ullius rei notitiam nobis, quæ abeſt, quamque nec videmus, nec audimus, nec ullis ſenſibus cognoſcimus, appetitum ullum comparaverimus? Quod ſanè affirmare & credere abſurdiſſimùm. Vocet ſanè, qui velit, univerſam Pharmaceuticam Medicinam, nunquam tamen ullus ullius formoſæ puellæ amorem, niſi prius ipſam viderit, ſibi conciliaverit. Si igitur per herbas aut Pharmaca, aut artes Magicas, figuras aut ceremonias neque res ſentire, neque notitiam earum habere poſſumus: quomodo quæſo adfectus hæc omnia in nobis moverint, aut amorem rei nunquam viſæ in nobis excitaverint? Objecta enim movent ſenſus noſtros, ſenſus intellectum, intellectus appetitum, inprimis venereum, ſi ætas & cætera reſpondeant, & Philtrum venereum ſit, quod cum appetitu priùs, judicio Mentis, concitatum majorem exuſcitabit amorem in rem viſam ac cognitam.

De Pharmaco igitur dicere licebit, ſtimulum venereum id in nobis concitare poſſe, at is ſtimulus non in unam certam perſonam, ſed promiſcuè in omnia concitabitur individua. Neque id Philtrum, ſed potius venereum dicetur Pharmacum, quod ex cauſis Phyſicis venerem in nobis ſtimulat.

Concludimus igitur, nullam talē efficaciam eſſe in herbis, verbis, ceremoniis, figuris vel amuletis, ſed viſum & notitiam rei ſemper uſum horum omnium præcedere, & viſum primam lineam amoris eſſe affirmamus in altero amantium, priuſquam amor fiat

mutuus, quem mutuum fieri postea amans omnibus modis seque redamari ac placere studet amatæ, ideò quoad fieri potest, ei sese insinuat, & suavi cosuetudine, obsequiisque animum ejus sibi conciliare adnititur, & sedulò dat operam, in quam occasionem dies noctesque intentus est, & advigilat, ut tandem amata potiatur.

Cum igitur sensum visus Philtra adficere nequeant: neque sanè effecerint, ut hoc & non aliud objectum ipsis placeat vel deligendi facultatem ipsis, sensui communi, vel intellectui impertiant.

Præterea si Philtris assumptis induceretur amor, sæpius nunquam visa nec cognita amare cogeremur, neque aspectu rei amatæ opus esset, & mutuas effigies in conciliando amore viros Principes utrinque mittere supervacuum esset. Ignotorum nulla appetentia, neque sanè notitia universalium appetitum parit. Nemo enim hominem amat, sed Annam, Mariam, Elisabetham, individua singularia. Objecta enim sensuum, quæ appetentias excitant, singularia sunt.

Tertiò, inter singularia est electio, ut habet versiculus:

Elige, cui dicas, tu mihi sola places.

Unam igitur ex pluribus eligit amor, quod fit mentis ac intellectus libero judicio, ac libera voluntate electam prosequitur, ac frui ea laborat amans. Quem quidem appetitum, voluntatem liberam & loçomotiuam coercere rationis potest freno. Neque Pharmacum ullum ipsius voluntatem hic cogere potest, aut mentis judicium ipsius impedire, vel remorari, quo minus inter multa singularia liberè unum eligat.

Absurdissimum igitur καὶ ἀφιλόσοφον est, herbis, Pharmacis, figuris ac ceremoniis ludricis electionem & voluntatem humanam cogi posse, adfirmare, vel in actionibus, quæ pendent à luntate humana, Pharmacis vim & efficaciam aliquam tribuere, et hominum adfectus ac mores Pharmacis informare ac instituere velle, vel eandē iis astringere, qui ab integro homines tempera-

mento

mento vel maximè dependent, ut docet Gal: Animi mores ſequi temperamentum totius.

Quartò, in certam perſonam ſi Philtra agerent, quid ni & in hoſtem, ſi ipſi exhiberentur, agerent? atque hoc pacto hoſtium animos in amorem noſtri allicere poſſemus. Quid igitur efficacius eſſet ad pacem inter animos capitali odio diſſidentes, & bello exitiali decertantes conciliandam, quàm Philtrorum uſus? quod concordiæ vinculum inter homines firmius ac tutius foret?

Concludimus igitur: Oculis ineſſe principium motus in amore conciliando. At Philtris non adficiuntur oculi, qui ſunt in amore Duces. Ergò neque ſenſus communis, intellectus ac multò minus cor, quod adfectuum, inprimis amoris, ſedes eſt.

Neque ſanè intellectus Philtris adficitur ullis, quia intellectus eſt univerſalium, vel circa univerſalia verſatur, quæ ſub amorem non cadunt, quod certi individui amor eſt.

CAPUT V.

Amore viſu rei amatæ concitato, rationis judicio amantem non privari.

HIC amor ita viſu excitatus, vel verſatur circa rem viſam honeſtam, vel licitam, vel inhoneſtam aut illicitam. Et qui amat, intelligit ſe licitè vel illicite amare, quod hoc argumento probatur.

Amor ſi licitus fuerit, amans amorem vix diſſimulabit, niſi forſan pudore, id ut faciat, moveatur, quod neq; à ratione alienũ eſt.

Frequentiùs etiã amamus formosissimas, elegantissimas, suavissimas, ac optimè moratas, quod judicio rationis integro facimus, deformesque minus appetimus. Quis enim ratione præditus pulcherrimæ ac venustissimæ virginis aspectu ilico non commovetur, nisi homo vecors, iners, stipes ac truncus fuerit? Accidit nonnunquam, & deformes amari, at non primo conspectu, sed amorem illarum consuetudine quadam quibusdam induci, illecebris quibusdam, vel alias ob causas amore istarum captis, judicioque mentis perturbatis. Nam omnes pulcherrimas semper amamus, dum Mentis constat judicium. At si ob amoris vehementiam perturbetur amans, accidit nonnunquam & deformes amari, ut habet versiculus:

Quisquis amat Ranam, Ranam putat esse Dianam,

Quod in amore jam mutuo, ac longo usu, ob certas causas firmato, nonnullis evenit.

Deinde diximus, in usu Philtrorum alterum semper amare. Hic primò summo ingenio ac arte utitur, alterius amorem ut sibi conciliet, & quacunque potest arte placere, facit, nec quidquam prætermittit, quo amatæ animum sibi conciliet, & in amorem sui vicissim trahat. Neque propter hunc amorem amantem rationis judicio privari, aut labefactari in eo quisquam dixerit, cum rectè, appositè & dextrè, ut res tempusque postulare videtur, omnia administret, & peragat, quibus animum amatæ in sui amorem vicissim commoveat, ut quidem hæc non amentis sed cum judicio amantis, instituta omnia dixeris. Quàm astutè, ac callidé sæpius amantes amorem dissimulant? Quàm variis ac mirabilibus technis ac dolis sæpius amores exercent amantes imprimis, si amores sint illiciti & inhonesti? quos miro ingenio atque arte sæpius o ccultari & dissimulari ab amantibus docet experientia ob plures causas:

Primò nonnunquam ob periculũ aliquod, quod subsit, si de amata aliis animum suum aperiant amantes. Nec semper tutum est aliis amores suos concredere aut palàm revelare, ne alii nobis amatum invideant, & se illum aut illam amplecti malint. Quod in

amo-

amoribus haud rarum contingens est, æmulationesque in amoribus esse frequentissimas scimus, Celant igitur prudentiores amores suos, & tacitè quàm maximè amant, Si non castè, cautè tamen, qui amores sæpiùs sunt ardentissimi.

Secundò quòd amantium voluntates non semper sint mutuò perspectæ, & invicem exploratæ, neque amor semper mutuus aut in utroque æquè ardens, & constans. Tertiò: Quòd illicitus sæpiùs sit amor, nefandus, incestus, aut inhonestus. Eam ob causam amores suos alios celare maximè studet amans, ne hæc res ipsi infamiæ sit.

Equidem quo amor magis inhonestus, eò majori studio, ingenio, arte ac industria amans eum dissimulat ac celat alios, ne raptus, incestus vel adulterii convictus suorum flagitiorum atroces luat pœnas.

Hæc sanè qui faciunt, mente capti mihi minimè videntur, siquidem astutè, callidè, & ingeniosè multa inveniunt, comminiscuntur, atque faciunt, qui alios, quorum hæc scire magni interest, fallunt, ut dulcior semper, ac ingeniosior furtiva venus. Quàm astutè ac callidè, raptores, & adulteri flagitia sua occultare, & fugam suam adornare soleant, notum est omnibus, nihil ut prudentius, nihil ut ingeniosius factum invenias.

Hoscene furiosos, amantes, vel insanos dixeris, qui alios astu suo ac dolis mirificè fallere norunt, consiliaque disquirunt varia ac callida, quo amato fruantur? etsi hac non successit, aliâ rem aggrediuntur via, quo aliis fucum facere possint. Nec raro eventus ipsorum consiliis conatibus, ac votis respondet. An hæc sint desipientis, & furiosi hominis instituta, qui sanæ mentis est, facile dijudicaverit?

Hujus rei exempla infinita in sacris ac aliorum scriptis extant, ex quibus amantium astus, callida consilia & ingeniosos conatus facile cognoscimus.

Constat igitur amantes mente non priuari, quo minus facta sua nefanda sæpius intelligant, sed voluntate rationis libera, nec ulla vi coactos hosce turpes ac illicitos amores exercere.

Caput

CAPUT VI.

Quomodo amor dicatur furor, & An amantes amentes ſint, & furioſis æquiparari poſſint?

SUnt quidam Jurisconſultorum, qui amantes furere ajunt, juxta Poëticum illud:

Crede mihi, ſtulto nemo in amore ſapit.

Et cupidinem cœcum pingunt Poëtæ. Ad hoc quæſitum reſpondemus: Omnes Autores de vehementia hujus adfectus loqui, qui omnium eſt ferociſſimus, & ſapientiſſimos ac fortiſſimos quoſque eò redigit, ut contra rectæ rationis judicium ad meliora hortantis ſcientes ac volentes ad ſcelera & flagitia nefanda impellat, Ut ille dicit, ſciens vivus videnſque pereo, nec quid agam certum eſt. Et amans ſcit ſe amare, & amoris cœco impetu in diuerſum à recta ratione abripi, poſſetq; voluntatem & locomotivam freno rationis cohibere, ac placito pugnare amori, ſi vellet, & locomotivam coërcere, ut ab amata abſtineret, & animum ac adfectus vincere; ac fortiter reprimere, & magis rationi ad optima hortanti parêre, quàm adfectuum vehementia animo frangi. Adfectus enim quantumuis vehementes ſint, tamen non eripiunt nobis rationis judicium, nec prorſus mente nos exuunt, nec voluntatem neceſſariò cogunt, ſed mentis ad optima nos hortantis monitis adfectus, quantumvis ardentes, frangere ac reprimere poſſunt omnes, καὶ ἀνὴρ ἀγαθὸς, quò magis adfectus furunt, eò validiùs ac fortiùs illis reluctatur, vincit eos ac ſuperat, ac cavet fortiſſimè, ne quid virtute indignum committat.

Quæ προαίρεσεις ſanè in ſanctis Spiritu ſancto illuſtratis conſtantior multò eſt, nec adfectibus ad ſcelera impellentibus cedit

dit aut vinci se patitur, sed qui sub ipso sunt appetitus, iis dominatur, iisque constanter imperat, Spiritus sancti auxilio.

Eadem omnium Philosophorum saniorum doctrina est: Propterea Aristotetles virtutem definit esse ἕξιν καὶ προαίρεσιν, constantem voluntatis habitum, reluctantem & repugnantem fortiter omnibus pravis adfectibus, & rationi ad optima hortanti maximé obsequentem. Etsi enim sæpiùs adfectus impetuosi valdè ac furiosi sint, tamen à recto vir bonus adfectuum rabie & furore se abduci non patitur, sed invictus in virtute constat, ac in firma rectæ rationis persistit προαιρέσει. Sic quidem amor propter adfectuum procellas, & impetus vehementiores ac rabiosos, qui nullum in se neque modum, neque consilium rationis admittunt, nec ratione se regi patiuntur, furor dici potest.

Sic ira furor dicitur brevis, qua ratio in viro malo facilè expugnatur: Vir autem bonus iram moderatur, nec iræ furori obsequitur, ut Poëta dicit:

Vince animos iramq; tuam, qui cætera vincis.

Sic Achilles aureo freno Pallados reprimit iram, quo minus gladium in Agamemnonem regem stringat: Neque voluntas Achillis ullo modo cogitur, quo minus rationi, modò velit, obsequi possit. Sic uxor Potipharis, etsi vehementer, furiosè & perditè deperiret Josephum, tamen ab eo, si voluisset, integra dum ipsi mens esset, abstinere potuisset: ut & David à concubitu Bersabeæ. Æneas à connubio Didonis abstinet, etsi ipsa ardentissimè connubium urgeret. Cyri quoque abstinentia prædicatur apud Herodotum, qui Xerxis filiæ venustissimæ captivæ conspectu, cum amore inflammaretur, affectus animi repressit, nec contingere eam, aut vitium ipsi offerre voluit, sed è conspectu mox saluam dimisit.

Medeæ exemplum evidentius est, quæ sua voce fatetur, se sapere in ardentissimo amore, seque scelera sua probè agnoscere, & ad meliora, si modo vellet, animum adjicere posse, dum ait:

Video meliora proboq;, deteriora sequor.

Video inquit, me improbè furere, dum parentem senem fallo, fratremque crudelissimè interficio, quo amori obsequar.

Postremò, ut manifestè doceam, amantes non esse amentes, nec delirare, sed amori repugnare, & adfectus moderari, reprimere, & locomotivæ imperare posse, exemplo Antiochi Seleuciæ Regis filii id comprobo. Qui cum Novercam perditè deperiret, amoremque suum pudore motus vel maximè dissimularet, nec amoris vehementiæ indulgere vellet, in morbũ gravissimũ incidit, quem ex amore ortum cum tandem Medicus, ac periculum ex eo ipsi esse intelligeret, rem omnem parenti Regi narrat, qui, ut filium servaret, novercam uxorem ipsi cedit.

His satisfactum omnibus existimo, amantes non furere, neque ob furorem sua scelera excusare posse, quod mente capti aut furore correpti fecerint, sed quò amor sæpiùs magis illicitus ac inhonestus, eò magis ingeniosus, & ab amantibus callidè, astutè, ac ingeniose dissimulatur.

CAPUT VII.

An Philtra amorem, an verò furorem inducant?

PHILtris amorem amatæ amantem sibi conciliare non posse, ostendimus prioribus capitibus. Quæ igitur Philtrorum, quæ in pluribus autoribus descripta & decantata leguntur, est efficacia? Ad quæ paucis respondeo: Philtra quædam venerea esse, quæ in sumentibus ea stimulos venereos concitant, inprimis in iis, qui amore priùs alicujus puellæ vel econtrà ardent. Hæc non verè Philtra, sed Pharmaca dicuutur venerea, quæ vi naturæ suæ Venerem in nobis stimulant. Hæc Philtris sæpiùs miscentur, quòd eò facilius Philtra amorem excitare posse sibi persuadeant amantes.

Sed magno id multorum errore. Quia experientia id compro-

probatum est, Philtris frequentiùs furorem, quàm amorem pluribus inductum fuisse. Rectè quidem vt Poëta dixerit:

Philtra nocent animis, vimq; furoris habent.

Nec vult Poëta, amator qui fuerat juvenili ætate maximus, & spectator formarum elegantissimus, Philtris amorem conciliari, sed potiùs forma, morum venustate, blanditiis ac illecebris variis, quibus maximè moveri dicit animos.

Valeant, inquit, *Medeides herbæ,*
Moribus, ac forma conciliatur amor.

Quamobrem ipse libros scripsit de arte amandi, quibus adolescentes instituit, qua arte amores sibi conciliare, atque eos exercere deceat: Philtrorumque usum maximè damnat, ut ociosum in conciliandis amoribus, sed ad furores & vitæ pericula inducenda efficacissimum. Et quamvis summi Principes ac imperatores viríque eruditissimi experientiam allegant, & exempla adducunt, quibus probare conantur, Philtris amorem conciliari: tamen experientia sine ratione nullam meretur fidem: Quin contrarium demonstrabimus experientia, Philtris non conciliari amorem, quemadmodum id rationibus firmioribus docuimus:

Constantinus imperator etsi primus huic rei fidem fecisse, & posteris id reliquisse videtur, tamen δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. & posterior ætas videtur aliquid semper derogare priori. Nec unius imperatoris leges cæteris omnibus derogant. Etenim experientia quæ allegatur, pro nobis magis facere videtur, siquidem sæpiùs furorem, quàm amorem Philtris inductum pluribus fuisse legimus. Scimus etiam sæpiùs alias causas amoris fuisse, ac alios latuisse, quæ Philtris asscriptæ fuêre.

Narratur historia de rege Macedonum Philippo, qui amore puellæ cum arderet, ac Olympiæ Reginæ uxori persuasum esset ab aliis. Philtro assumpto maritum in hunc amorem pertractum esse, ægerrimeque cùm hæc ferant uxores, puellam ad se adduci jubet, ut cùm ea expostulet, vel ut custodiæ eam tradi jubeat, adductam verò cum eam, & morum suavitate ac formæ venustate excellere vidisset, exclamavit mox: χαιρέτωσαν αἱ διαβολαί, σὺ γὰρ

ἐν σεαυτῇ φάρμακα ἔχεις: Valeant, inquit, calumniæ, tu in te Philtra habes.

Quo exemplo probatur, formam, mores ac occultam quandam συμπάθειαν non Philtra, primam ac præcipuam causam amoris esse.

Pleraque verò Philtra quod deleteria sint, docent ipsæ Romanorum leges, qui in eos, qui pocula amatoria aliis exhibuissent, graves pœnas capitales constituunt: experientia quòd edocti essent, sæpiùs furorem quàm amorem iis conciliari. Quemadmodum & ea, quæ conceptus causa ab imperitis præparantur sterilibus, frequentiùs lethalia sunt, etsi bono adhibeantur fine.

Aristoteles lib. 2. Mag. Moral. annotat, uxorem marito propinasse poculum amatorium; quo Maritus sæpiùs exanimis, & mortuo similis concidebat.

Poëta Lucretius Philtro ab uxore Lucilla accepto, in furorem concitatus, sibi ipsi manus adscivit.

Plutarchus, idem de L. Lucullo Imperatore scribit, qui hausto poculo amatorio in furorem incidit, quo tandem miserè periit.

Cæsonia Caligulæ poculo amatorio furorem marito uxor induxit.

Exemplaque plura passim in Autorum scriptis leguntur, quibus hujusmodi Pocula exitiosa esse compertum est,

Idem docent exempla earum, quæ hujus peritissimæ, Magæque habentur, nihil eas hisce Pharmacis, poculis, vel artibus magicis profecisse, in amore aliorum sibi conciliando.

Circe apud Homerũ, Magicarum artium peritissima, Ulyssis amorem in sese pellicere non potuit, etsi Ulyssem propter ipsius singularem virtutem, prudentiam, rerumque variarum experientiam perditè amaret: socios tamen ipsius in porcos, & alias bestias commutasse dicitur. Quæ Metamorphosis non vera & substantialis fuit, quemadmodum quidam λυκανθρωπίαν essentiæ veram ac formalem mutationem esse scribunt, quòd nunquam dixerim, quia blasphemia summa in Deum est, affirmare, Diabolum vel homines, quidvis ex quovis facere posse. Nam miraculum

est,

eſt, ex baculis facere ſerpentes veros, ex aqua vinum, ſoliuſque omnipotentis, nullius verò creaturæ opus.

Quod autem Circe ſcribatur ſocios Ulyſſis in beſtias transformaſſe, ab Homero id ſignificatum eſt: ſocios Ulyſſis Circes meretricis dulcedine, venuſtate, blanditiis, ac conſuetudine ſuavi captos, & adfectibus amoris cœcis, luxu ac voluptatibus indulgentes & diffluentes, beſtiarum more apud Circen, humana quaſi ratione privatos, vixiſſe, ſolùm Ulyſſem Circes illecebris expugnari non potuiſſe.

Nec Medea Jaſonem in ſui amorem traducere potuit, etſi Magicarum artium peritiſſima haberetur.

Nec Phædra Hippolytum privignum Philtris expugnare valuit, quem ardentiſſimè amabat.

Apud Virgilium Amaryllis nullis artibus Magicis Daphnin in ſui amorem commovere poteſt.

Nec apud Theocritum in Pharmaceutria Theſtilis ullis ceremoniis, carminibus aut magicis artibus Delphin in ſui amorem illicere aut domum retrahere poteſt, etſi in eo plurimum laboret, in quo Idyllio amantium varios adfectus & varios conatus Magicos exprimit, ac ridet. Ut de Daphni ſcribit Virg.

His ego Daphnin
Aggrediar, nihil ille Deos vel Carmina curat.

Sic nec Dido Æneæ animum carminibus aut artibus magicis flectere potuit.

Poſtremò nullum exemplum in ſacris vel ullis aliis probatis Autoribus legeris, quo docueris, verum & conſtantem amorem inter conjuges vel alios amantes Philtris conciliatum fuiſſe. Meritò igitur eorum dogmata damnamus, qui Philtris eam potentiam & vim in conciliando amore adſcribunt.

CAPUT VIII.

De Philtris Canum.

DE Philtris, quibus Canes in amorem ſuorum Dominorum illiciuntur, & eis adſueſiunt, quod quidam in contrarium adferunt, ea res ſic ſe habet.

Canes omnibus animantibus odoratu præſtant, quo fit, ipſos Dominos ſuos, &, quo veſtigia preſſerunt, locum agnoſcere, ut Virg: dicit:

Odora Canum vis.

Etenim ab omnium animantium corporibus, inprimis hominum, halitus quidam, à calore nativo, in humidum corpus continuò agente, expirant, qui ſingularibus temperamentis corporis attemperati & appropriati, in ſingulis ſingulares quoque ſunt.

Si quando igitur caſeus vel alii cibi, vel veſtes his halitibus imbuuntur, facilè ex iis Dominum ſuum agnoſcit Canis, cujus corporis halitus ab aliorum, vi odoratus, diſcernere novit. Nihil igitur mirum, ſi caſeo ſub axillis diutius repoſito, halitibusque corporis imbuto, Canis aſſueſcat, capiatur, & amore ſui Domini, qui hoc caſeo ipſum alit, afficiatur, & ducatur.

Ut enim homo viſu inter mille facies unam ſemel viſam agnoſcit, & diſcernit: ſic canis, odoratus vi, omnia individua corporea obvia, à ſuo Domino diſcernit, & agnoſcit inter multa millia Dominum ſuum. Nec non ut viſu homo in amorem objecti: Sic canis odoratu in ſui Domini amorem trahitur. Non igitur exemplum ſimile, quod diverſornm ſenſuum medio, & miniſterio in amorem concitatum adducitur, & à quibuſdam allegatur, hic locum habet, quinimò noſtram magis hoc de canibus confirmat ſententiam, omnia externa objecta ſenſuum beneficio, non Philtris datis cognoſci, ex notitia autem externa rei adfectus concitari: Sic & amorem ac deſiderium rei non herbis, verbis, ceremoniis, vel

mediis

mediis ac nugis, in nobis commoveri & accendi, sed per notitiam rei sensibus externis acquisitam.

CAPUT IX.

Diabolum illudere humanas mentes, Philtris conciliari amorem.

VUlgo omnibus persuasum olim fuit, decantatum illud ac celebre Philtrum, Hippomanes dictum, amorem conciliandi efficaciam habere maximam, cujus etiam Aristoteles meminit, sed nullam ipsi hujus effectus vim tribuit, imò aniles esse fabulas & nugas ait, amorem quòd conciliet. Etsi Plinius, Lucanus aliique falsò ipsi hoc adscribant.

Etenim hoc Pharmacum vel Philtrum adeò ab omnibus celebratum nullius si est efficaciæ, quid de aliis dixeris, de quibus scribit Discorides, Theophrastus & alii, magnam quòd vim habeant conciliandi amorem, quod ipsimet non sunt experti, sed ab aliis, quæ scribunt, ex relatione sola acceperunt.

Prætereà Diabolus, qui ordinis divini inprimis naturæ hostis est, connexum necessarium causarum & effectuum perturbare, confundere, ac invertere astutè studet, dum falsò effectus causis nõ causis tribuit, hominumq; mentes eò inducit suo astu, ut relicto verò causarum ordine, qui divinus in natura est, fallaciis suis ipsas implicet, & rerum causas in natura confundat, ut Spiritus est omnis ἀταξίας & confusionis in natura, mendaciorum, ac falsitatis princeps ac Dominus, contra Dei immotum ac constantem naturæ ordinem qui omna molitur. Regnum enim ipsius, in Mendaciis, & rerum destructione ac confusione constitutum, Dei immotæ veritati maximè contrarium & adversum est. Ideò verum falsum, ac falsum verum esse hominibus frequentiùs persuadet. Spiritus equidem est aërius, aëre ipso tenuior ac subtilior, qui hominum

minum Spiritibus animalibus ſeſe miſcet, eos denique perturbat, falſas ut imaginationes mente pro veris concipiant, quas Magicis ſuis actionibus aſtutè firmat, fidem ut ipſis habeant, à Dei ordine deficientes, qui etiam veritatis omnis Deus, & autor primus ac conſervator perpetuus, ob ſui ordinis & veritatis ſuæ negligentiam & contemptum impium ſinit malos labi, ac in reprobum eos tradit ſenſum, Diabolo falſario, mendaci ac homicidæ magis ut credant, & in ſuperſtitioſo Diaboli cultu ut confirmentur, qui ex uno in mille ipſos ducit errores miris ſuis technis, mille ac maleartifex. Idem ipſis de Philtris perſuadet, hominum mentes, adfectus, voluntatem ac locomotivam illis cogi poſſe ad amores illicitos, raptus, adulteria, inceſtos concubitus, aliaque flagitia nefanda, quæ Philtris excuſari, & veniam mereri poſſe quidam adfirmant. Hoc pacto ipſos dementando falſum pro vero, malum pro bono, ac inhoneſtum pro honeſto ipſis venditat, Impoſtor ille nefarius.

Quando igitur Mens humana & Diabolus, in unum conſpirant actum, & Diabolus humanis ſe miſcet Spiritibus, abſurdiſſima animo concipiunt & volvunt, eaque imaginatione falſa attentant ac moliuntur, quæ ab ratione prorſus aliena ſunt, iis mediis videlicet, quæ ipſis proponit, & ingerit Diabolus, eos ſe producere poſſe effectus, qui minimè ex illis mediis vel cauſis propoſitis dependent. Nam alio modo nobis ignoto naturali tamen, (quia nihil poteſt præter naturæ ordinem,) hos cauſat ac producit effectus. Naturalis enim Magus Diabolus eſt, naturæque ordini ac terminis aſtrictus, neque plus poteſt quàm ipſa natura, qua uti Deus ipſi nonnunquam concedit. Et ſi ingenioſiùs, quàm nos ſcimus, ea abutatur, perſtringendo humanos ſenſus, vel actus celeritate, qua & homines homines mire fallunt, quid ni & ipſus in ea arte homines excellat?

De Philtris hoc proponimus; veriſimileque videtur, Diabolum impurum Spiritum, impuris hominum amantium animis, ac imaginationibus ſeſe jungere, & aſſociare, quibus objectum, in quod Imaginationes diriguntur, afficere, ac impreſſiones ei facere

poſſunt,

possunt, inprimis, ad hujusmodi effectus suscipiendos si objectum fuerit dispositum.

Commouere igitur animum amatæ in amantem potest variis modis ac technis. Maximè verò, si amans fiducia Philtri exhibiti liberiùs accedat ad eam, alloquatur eam, cum ea conversetur, omnibus modis placere studeat amatæ, accidit animum ipsius affici, quantumvis antea fuerit pudicus, obsequiis amantis cooperante Diabolo, qui immundus Spiritus est, & impuris cogitationibus ac imaginationibus animos hominum sollicitat. Hinc fit, Philtris nonnunquam exhibitis amorem hunc concitari, non quòd Philtra amorem operentur, sed quòd turpes hujusmodi affectus, amores ac cupiditates Diabolus in animis hominum accendat, quòd falso Philtris asscribitur. Atque hoc falsam hanc opinionem de Philtris & merè superstitiosam in animis hominum confirmat, & ab ordine naturæ, quo effectus suis veris tribuuntur causis, ad ordinem Deo & naturæ contrarium, animos humanos traducit, & verum mendaciis suis invertit, ac simul turpissimi amoris flammis eosdem accendit & stimulat. Quia non minus potestatis malus Spiritus in animos humanos se habere vult videri, quàm Spiritus sanctus in animos bonorum, qui castorum motuum ipsis causa existit.

Ex his omnibus facile colligere & statuere possumus, quî fiat, Philtris pluribus videri amorem conciliari. Diaboli id fit ac Magicis artibus. Quemadmodum, & potentiam veneream simili modo Diaboli astu ac technis fallacissimis quibusdam extingui videmus, in iis inprimis, qui nugis ac ceremoniis vanissimis id fieri posse, sibi imaginantur ac firmiter credunt. Quibus & potentia eadem rursus similibus ludicris ac ceremoniis superstitiosis conciliatur ac redditur. Hæc mea de Magicis actionibus, maleficiis & Philtris sententia est, qua si quis melius quid, vel veritati magis consonum proferat, libenter ingenio ipsi cedam, melioraque sequar.

CAPUT X.

Autoritate Autorum probatissimorum confirmatur, Philtrorum nullam esse efficaciam.

CLarissimi & Doctissimi Philosophi Sprengerus, & Bodinus contra VVeierum disputant, & in contrariam sententiam inclinant, Philtrorum magnam esse vim & efficaciam, idque tantum exemplis pluribus congestis, sed nulla ratione probant. At experientia sine ratione fallax, ac nullius est pretii. Quare videant accuratiùs quid dicant, qui sine ratione quid docent.

Aristoteles Philosophorum Princeps, & rerum naturalium indagator ac scrutator summus, etsi ante ipsum plures de famoso illo Philtro Hippomane scripsissent, & in conciliandis amoribus efficacissimũ id esse celebrassent, tamen lib. 8. de Nat. Animalium figmentum ac commentum muliercularum, & professorum Carminis incantatorii esse ait. Quod autem in Physicis Aristotelis testimonio dignius?

Præterea si Philtris aliquid hujus inesset efficaciæ, Hippocrates, Plato, Aristoteles, Galenus, Avicenna, Physici ac Medici summi, hujus rei mentionem fecissent.

Quinimò Virgilius, qui nullius disciplinæ expers fuit, Ecloga Pharmaceutria, Theocritum imitatus, Philtrorum, Carminum, ac similium Magicarum actionum nullam esse efficaciam, ostendit: Quod & Servius eodem loco comprobat.

Alii quoque Ecclesiastici Doctores, inter quos Epiphanius haud postremum locum habet, scribunt, hujusmodi pocula amatoria, & incantationes Magicas vanissima esse, & eo tantùm spectare, ut fœminarũ honestarũ castitas facilius cũ astu expugnetur & prostituatur, obducto numine divino, & signaculo Crucis, qui horum scelerum prætextus sunt. Ovi-

Ovidius, qui artis amatoriæ perhibetur Magiſter, quique plures libros de amoribus &, arte amandi ſcripſit, negat pluribus locis, Philtris amorem conciliari & ab iis abſtinendum eſſe, ut à venenis, ſuadet. Ut in lib. de Medicamentis faciei.

Sic potius nos urget amor, quàm fortibus herbis,
Quas Maga terribili ſubſecat arte manus.
Nec vos graminibus, nec miſto credite ſuco,
Nec tentate nocens virus amantis Equæ.

Idem lib. 2. de arte Amandi.

Fallitur AEmonias ſi quis decurrit ad artes,
Datq́ꝫ quód à teneri fronte revellit Equi.
Non facient, ut vivat amor, Medeides herbæ,
Miſtaq́ꝫ cum magicis Marſa venena ſonis.

Idque exemplis Medeæ ac Circes mox comprobat.

Phaſias AEſoniden Circe tenuiſſet Vlyſſem,
Si modo ſervari Carmine poſſet amor.
Nec data profuerint pallentia Philtra puellis,
Philtra nocent animis, vimq́ꝫ furoris habent.

Monet itaque paulò poſt, hoc genus artis fugiendum eſſe, dum inquit:

Sit procul omne nefas; ut ameris, amabilis eſto.

Hoc præceptum eſt de arte amandi, Magiſtri in hac arte exercitatiſſimi & elegantiſſimi, qui omnia faſtidit Philtra, eaque venenoſa reputat.

Idem Propertius Poëta libr. 2. Elegiarum docet:

Seu mihi ſint tangenda novercæ pocula Phædræ,
Pocula privigno non nocitura ſuo,

Plura non addam, ne unius quæſtionis explicandæ ſtudio integrum opus contexere videar. Bonis me hiſce ſatisfeciſſe puto. Sin quibuſdam hæc mea diſplicebunt, me erudiri ab his patiar. Veritatis equidem ſtudium laudi meæ anteponam.

Τέλος Θεῷ δόξα.